

¶ *De dem H. Geiste ad quam respondetur: Daß er bey mir bleiben wird bis in Ewigkeit.* B. Dannbauerus *Hedomor. Spir. Calv. Phantasm. IX. p. 1976. seqq.* magno numero adducit eorum hæc de re Testimonia, ad quæ B. L. remittimus. Equidem ut suum hunc errorem stabilire possint, ipsam S. Scripturam in subsidium vocare siveverunt, provocantes v. g. ad *Pf. XXXVII. 24. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Ad *Matth. XXIV. 24. Impossibile est electos seduci.* It. *Job. X. 28. XIV. 16. 1. Job. II. 19. &c.* Quid tamen ad ea dicta respondeant Nostrates vide apud *Dannbauerum l. c. Meisnerum Anthropologie Sacra Decad. II. Disp. XIX. p. 320. seqq.* Nos sententiam orthodoxam breviter nunc probaturi præter Saulis exemplum jam memoratum alia etiam Scripturæ S. t. dicta t. exempla clarissima in medium affereamus. Certè expressis verbis summus ipse Deus testatur, Electos suâ gratiâ posse excidere. Inquit enim: *Cum averterit se justus à justitiâ suâ, & fecerit iniquitates, morietur in eis. In injustitiâ, quam operatus est, morietur.* *Ezech. XVIII. 26. XXXIII. 12. 13.* Adesse quidem hæc clamant Calviniani nudam conditionem, sed nos tamen regerimus, quod illa hautquaquam sit impossibilis, aliàs enim ista Dei comminatio esset de nihilo, quod absolum est. Ita *Luc. VIII. 13.* proponit Salvator noster ejusmodi homines, qui ad tempus solum credunt, ac ingruente tentationum aestu deficiunt. Verùm hæc obtendunt Calviniani, istos *regouaigæ* non habere fidem veram. Sed frustra hoc ab ipsis affertur, cum sanè dicantur 1) *recipere verbum cum gaudio,* 2) *ad tempus credere,* 3) *tentari vel probari.* Jam autem nemo tentatur à Deo, nisi fidelis sit. 4) *Recedere.* Si ergò verâ fide nunquam fuissent præditi, nec verè potuissent dici recessisse. *Meisnerus loc. cit. p. 308.* Ulteriùs Paulus *1. Cor. X. 12.* graviter hortatur suos, quibus hæc scribebat, credentes: *Qui sibi vide-*
tur